Q. D. B. V.

DE

FIDEICOMMISSI FAMILIÆ QVALITATE, FEVDO SVPERADDITA:

ADSISTENTE DIVINA GRATIA,

ET

CONSENTIENTE JCTORVM AMPLISSIMO ORDINE,

IN ACADEMIA MECKLENBVRGENSI,

EJVSQVE

AVDITORIO MAJORI,

DISPVTABVNT

D. ERN. JO. FRIEDER. Mantzel,

JVR. PROF. ORD.

ET

ANDR. GOTTLIEB DE SCHACK,

EQVES MECKL.

ANNO M. DCC. XLII. D. IV. JVLII.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ROSTOCHII,

TYPIS IOANNIS IACOBI ADLERI, *SERENISSIMI PRINCIPIS* ET *ACADEMIAE* TYPOGRAPHI.

Digitized by Google

Digitized by Google

ILLVSTRISSIMO ATQVE CELSISSIMO

DOMINO,

DN. CHRISTIANO GUNTHERO

S. R. J. COMITI

DE

SCHULENBURG,

AUGUSTISSIMI MAGNÆ BRITANNIÆ REGIS ET ELECTORIS BRUNSVIGO-LUNEBURGENSIS,

SUPREMO VENATIONUM DIRECTORI,

DOMINO IN HEELEN,

ET RELIQV.

DOMINO SUO LONGE GRATIOSISSIMO.

Digitized by Google

PERILLUSTRI

DOMINO,

DN. FRIDERICO

DE

STEINBERG,

EJUSDEM REGIÆ MAJESTATIS MAGNÆ BRITANNIÆ

ET

ELECTORIS BRUNSVIGO-LUNEBURGENSIS,

SUPREMO TERRARUM HARBURGENSIUM PRÆFECTO,

DOMINO IN BRUGHEIM ET ACHEIM:

UT ET

Digitized by Google

REVERENDISSIMO ATQUE GENEROSISSIMO DOMINO,

DOMINO,

PHILIPPO ADAMO DE HARDENBERG,

SENATUS CAPITULARIS MAGDEBURGENSIS ASSESSORI,

DOMINO IN REHTMAR ET FROHBURG;

DOMINIS PATRONIS GRATIOSISSIMIS,

ET

SUBMISSO PARENTELÆ RESPECTU SUSPICIENDIS.

Digitized by Google

MUNUS HOCCE CHARTACEUM,

IN

DEBITÆ SUÆ VENERATIONIS ET REVERENTIÆ TESSERAM,

CUM VOTO OMNIGENÆ ET PERENNANTIS FELICITATIS

SUBMISSE

DAT, DICAT, CONSECRAT,

ANDREAS GOTTLIEB DE SCHACK.

Q. D. B. V.

INGRESSUS.

Specimini academico, publicæ ventilationi ſubjiciendo, materiam præbere voluit quæſtio quædam ex jure feudali, illuſtranda aliunde ex doctrina de fideicommiſſis: Perplexam nonnulli dicunt eandem, ſed ſobria & diſtincta evolutio atque explicatio perplexitati haud impar eſt. Videantur ſcriptores ſyſtematici. Poſt aptam commodamque definitionem, quam, ſive actum, ſive objectum reſpexeris, ſolers & provida diſtinguendi cura adhibenda erit & extricabuntur omnia, quæ videbantur habere nodos. Maxime autem expediet diſtinxiſſe inter fideicommiſſa, quæ *ex profeſſo* conſtituuntur, & quæ *ex accidenti*, virtute clauſulæ codicillaris, emergunt: Hanc enim diſtinctionem ſibi propriam eadem habent. Adde & illam inter fideicommiſſa *vulgaria* & *familiarum*. Reliquæ claſſes, ſive illas diſtinctiones modi conſtituendi, ſive rei ipſius dixeris, ipſis notionum etymologiis ſeſe inſinuant. Intereſt autem diſtinxiſſe fideicommiſſa, præſertim familiarum, in *realia* & *perſonalia*: *conventionalia* & *ultima voluntate conſtituta*: *revocabilia* & *irrevocabilia*: *perpetua* & *temporaria*: Late has diviſiones, cum aliis perſequitur KNIPSCHILD *de fidei commiſſis famil. ill. Cap. II.*

Antiquiſſimis temporibus & in Republ. Romana ad quodvis vulgare, ſive univerſale, ſive particulare fideicommiſſum, requirebantur tres perſonæ. I) *Fideicommittens.* II) *Fiduciarius* & III) *Fideicommiſſarius.* Media illa perſona non niſi executor erat teſtamenti. Legatur STRYK *de S. a. J. diſſ. 7. C. I.* & nulla directe & regulariter habebat emolumenta, præter gloriam pudoris atque mentis indolisque ab avaritia & ſorditie alienæ; Poſteaquam autem fluctuare incipiebant fiduciarii inter probitatem & perfidiam, verbis precativis vis imperativorum tribuenda fuit & Reſpublica Romana providentia Pegaſiani ICti & quartæ Trebellianicæ indigere cœpit.

Lu-

Digitized by Google

Labentis Reipubl. Indicium facit mutatus ille fideicommiſſorum ſtatus. Et quidni; poſteaquam enim deſiit in Republica virtus poromiſſionum, generoſa fide vallatarum, *vid. Equitis Meckl. B. Dn. de* BARNER *ſpec. diſſ. Rinthelii Præſide B.* ZOLLIO *habita*, quoniam, ob ceſſantes infamiæ facti effectus parum operantur, decreviſſe Reſpublicas evidentiſſime conſtat. *Conf. Dn.* GASSERI *diſſ. de fideicommiſſorum origine argumento inclinantis & mutatæ Romanorum Reipublicæ*, in qua tamen alia quadam inceditur via & quidem eadem cum *Dn.* KERSTAN. *diſſ. Lipſ. de fideicommiſſo perpetuo familiæ in feudo*, cujus ſcripti eruditi ſcopus & thema a noſtra tractatione diverſum eſt, quoniam nos ſuperadditionem qualitatis fideicommiſſariæ qua univerſum feudum indagamus. Scribit ille V. C. de fideicommiſſo familiæ feudum abſorbente & cultiſſime negat, quod tale conſtitui queat: audiatur e. gr. §. 28. *Per fideicommiſſum familiæ perpetuum etiam in feudo mere hereditario dominus directus plane it perditum jus aperturæ feudi & caducitatis, jurisdictionem in feudo &c.* Quis, quæſumur, de ſuperadditione ita cogitabit.

Sed hæc omnia obiter. Unicam pro themate poſuimus quæſtionem: *An, quomodo, quatenus & quo effectu qualitas fideicommiſſi familiæ feudo queat ſuperaddi.* Status cauſae haud difficulter concipitur. Providum familiæ nobilis caput in provincia, cujus feudalia jura patiuntur, vt feuda ſint æri alieno obnoxia, ad meliorem tutioremque familiæ conſervationem, feudo addit qualitatem fideicommiſſi familiæ, maxime qua reſtrictionem nexus promiſcui cum creditoribus. Er macht das Lehn-Guht zu ſolchen Stam-Guhte, daß es auſſer höchſten Noht- und Ehren-Fällen, entweder gar nicht, oder nicht höher, alß auf ein gewiſſes quantum darf mit Schulden beſchweret werden. Liceat hoc thema, pro temporis, quod, ſonticis ex cauſis, breve ſatis eſt, ratione, leviter adumbraſſe. Fiat idem DEO clementiſſime adnuente, adnuat etiam gratioſus Lector, cujus rectiori judicio ſalvo omnia ſcripta ſunto.

TRA-

TRACTATIO.

POSITIO PRIMA.

Familiarum nobiliorum character, quaſi diagnoſticus eſt, habere bona & jura, vulgaribus qualitatibus ſuperiora & exemta.

Scholion. Eſt commune quoddam bonæ frugis hominum votum, propagare poſteritatem & cum voluptate de meritis avorum & atavorum diſſeritur. Virtus eſt quaſi fundus quidam, poteſt & eadem, ſi in familia conſervatur, continuatur, ſplendidam efficere genealogiam: Verum, ſi ſi deficiunt jura hæreditaria v. gr. feudorum, officiorum, miniſteriorum, fideicommiſſorum & ſimilium, facile degenerant & obſcurantur omnia. Laudabile igitur eſt, ſi, vel gente vel mente generoſi & nobiles, aliquid pro objecto conſtituunt, cujus ope & intuitu poſteri, ſi non omnes, tamen in uno vel altero ſtemmatis propagatore conſervantur in ſubſellio inferioribus ſuperiore: leg. Celſ. COMITIS DE OETTINGEN *Comment. de Fideicommiſſis*, *Helmſt.* 1734. Tendunt ad eundem finem etiam jura majoratus, primogenituræ & minoratus, de quo vid. Ill. CRAMERI *diſſ. ſpec.* & B. STRUV. *Diſſ. de fideic. th.* 16. Teſtaturque experientia quod & inter non-nobiles talia jura occurrunt: Vid. Dn. D. VOGELII *diſſ. inaug. ſub Præſidio MANZELIANO* hab. *de ſucceſſ. deſcend. inæquali ſpec. ad conſuet. Guſtrov.* ubi de jure natu minoris, quod dicunt Anerbrecht.

POSITIO II.

Feuda familiis ſunt data; conſervant eas-

dem; ſed non omnia æque feliciter: Ergo de mediis augentibus acceſſoriis cogitandum.

Scholion. Probatio eſt in numerato, ſi perſpexeris feudorum claſſes atque obſervaveris, quod feuda, qualia dicuntur, regularia, ſint rariſſima in Germania, adeo, ut ſi regula a potiori ex inductione ad numeros fieri vellet, falleret theoria; ſed alia eſt ratio, cur regularia appellamus ea, quæ maximam habent perfectionem. Illuſtris eſt notio providentiæ majorum, denotat enim avitum ſtudium pro conſervanda familia: Quandoquidem autem in plurimis feudis providentia illa levior eſt, laudandum erit qualitatis feudi augmentum. Offeruntur allodia in feuda, favore familiæ; Quid vetat ergo, feuda irregularia offerre in regularia, vel alia prudenti ratione illis ſuperaddere conditiones familiæ conſervativas.

POSITIO III.

Medium, feudo fideicommiſſi familiæ qualitatem ſuperaddendi, vehementer ſe commendat.

Scholion. Quid fiat, quomodo & quo effectu fiat, quibus ex rationibus ſe commendet, cardo totius rei eſt. Noſtrum igitur erit, ideam in ingreſſu datam, collata definitione poſitionis ſequentis per hoc opuſculum excolere.

POSITIO IV.

Fideicommiſſum familiæ eſt conſtitutio quædam, ea lege facta, ut bona, in familiæ conſervationem atque gloriam, diu, imo perpetuo, penes eandem maneant.

Schol.

Digitized by Google

Scholion. Solet in deſcriptione pro genere poni *Donatio*, vid. KNIPSCHILD *Cap. I. n. ult.* Sed non erit captanda donationis idea. Poterit enim & in iis bonis, quæ jure quodam debebantur fideicommiſſariis, conſtitui fideicommiſſum, id quod nempe jam eſt in quæſtione, modo ab eo fiat, qui a diſpoſitione tali per jus commune non arcetur. Dantur ab aliis aliæ definitiones, quæ vel actum, vel objectum vel modum inſinuant: Noſtrum non eſt, in multis verborum tricis verſari.

POSITIO V.

In Feudo regulari, & ex pacto & providentia majorum tali, fideicommiſſariæ qualitatis ſuperadditio parum vel nihil operabitur.

Scholion. Quid ſit feudum regulare & ex pacto & providentia majorum, hoc loco multis expoſuiſſe non eſt opus, quoniam undique conſtat, gaudere illud, inter alias qualitates, ea prærogativa. quod æri alieno vulgariter non ſit obnoxium. Ubi igitur major & ſplendidior providentia pro flore familiæ jam vigilavit, ibi parum juvabit minor. Niſi forte in quæſtionem venerit, utrum fideicommiſſi familiæ ſuperadditio impedire queat nexum debiti mere feudalis ut & legitime alias conſenſuati. Id quod ſimpliciter affirmari nequit. Quantum enim ad debita in conſervationem feudi contracta, nullatenus obſtabit diſpoſitio fideicommiſſaria, quippe cujus ſubſtantia in eo verſatur, ut conſervetur feudum. Sunt autem ea talia, quæ & abſque conſenſu Domini directi & agnatorum afficiunt feudum indeque onera ſive debita feudi appellari ſolita. *Vid. Selecta Jurid. Roſtoch. faſc. I. p.* 164. ſub rubro: *de Limitibus debitorum feudi & Vaſalli.* Qva conſenſuatas hypothecas autem ſtatuendum, qvod fideicommiſſi fa-

miliæ ſuperadditi omnino illas queat impedire h. e. difficiliores reddere. Vulgata eſt doctrina, qvod de feudis ex pacto & providentia non valeat teſtamentum, vid. *I. F.* 8. Accipienda autem eſt illa prohibitio de caſu ultimæ voluntatis, conditionem Domini & agnatorum, & ipſius feudi deteriorem reddentis. In eo enim per nos verum maneat heroicum illud, quod ne quidem candelam pro anima Vaſallus relinquere queat, *vid.* ISERN. *in c. an agnat. vel fil.* SCHRADER. *de Feudis P.* 7. *c.* 2. *n.* 25. ROSENTHAL *de Feud. Cap. VII. concl.* 2. *n.* 7. *not. m. n.* Unde & numerum faciens eſt quæſtio, an feudo legato debeatur æſtimatio. Subſcribimus ampliationibus Doctorum V. gr. quod ne quidem Domino conſentiente, in præjudicium fieri qveat, SONSBEC. *de Feud. Cap.* 13. *n.* 112. nec admittatur in feudo franco, qvoniam anomala ſunt ſtrictæ acceptionis. Qvoties autem ultima voluntas conditionem feudi & eorum qvorum intereſt, auget, toties aliter ſentiendum eſſe cenſemus. Conf. qvæ Feudiſtæ, diſtingvendo inter pacta augentia & detrahentia in capite de feudis impropriis tradere ſolent, qvæ tamen minus apte proponuntur; Non enim inter Dominum & Vaſallum unqvam fieri poteſt pactum augens, qvod non ſit ſimul detrahens: Hoc loco autem vere augetur conditio, qvoniam adverſus tertium ſit cautela. Niſi quis forte illius conditionem deterioratam dixerit, cui non licet nec finem nec modum expenſarum facere.

POSITIO V.

In Feudis, quæ diſpoſitionem parentum inter liberos admittunt, & in nonnullis irregularibus, fideicommiſſi familiæ ſuperadditio utiliorem liberioremque locum inveniet

Scho-

Schol. I. In Feudis regularibus, in quibus filius etiam eſt patris agnatus: Vater und Sohn ſind Lehns-Vettern, ceſſat diſpoſitio inter liberos 1. *F.* 8. Filius enim feudum non a patris, ſed a majorum providentia habet exſpectandum. Non poterunt enim adimi ea quæ filio, etiam invito patre, debebantur. Per & poſt patrem devolvi feudum ad filium, quis eſt, qui negaret, quod autem a patre habeat, dici nequit atque inde fluit reſtrictio qua diſpoſitionem. Evolvantur Feudiſtæ, qui hanc aſſertionem vehementer exampliant, concedendo, quod filius repudiato allodio ſuccedere queat in feudo: negando, quod pater uni inter liberos queat aſſignare feudum, quod inæqualiter poſſit filios inſtituere, quod fideicommiſſum univerſale feudum ingrediatur &c. vid. *Coryphæi*, *Roſenthal*, *Schrader*, *Borcholt*, *Vultejus*, & alii uno tantum non ore.

Scholion 2. In quovis feudo irregulari locum eſſe illi diſpoſitioni, non eſt, ut quis hinc concludat; Irregularia ſunt ſtrictæ interpretationis, unde nec in franco, nec in feminino, qua tali, admittimus diſpoſitionem inter liberos. In mere hæreditario communiter aliud ſtatuitur, quamvis contrarium tuentibus haud deficiunt arma. Fiat temperamentum, quoniam enim hæreditarium communiter retinet, qua perſonam admiſſibilem, qualitatem maſculini, diſpoſitio principiis juris feudalis pactorum & praxeos provincialis erit conformanda.

Scholion. 3. Superſunt feuda mixta, in quibus multo difficilior erit, propter admixtam providentiam majorum, ultima voluntas. Negatur igitur a nonnullis, vid. GAIL. *L. II. Obſ.* 154. *n.* 14. ROSENTHAL. *de Feud. Cap. VII.* abſolute, quod deſuper fieri queat teſtamentum. Verum ſi inter vocatus in prima inveſtitura, & quod majus, inter filios diſponitur, non eſt, ut negemus. Stat nobis in præſidiis Doctorum chorus atque cohors inſi-

Digitized by Google

gniſ. Vid. STRYK *de cautelis teſtamentorum Cap.* 8. *membr. II.* §. 23. de RHETZ. *ad* 1. *F.* 8. Si autem quis concludere hinc vellet, in quovis fideicommiſſo generali, contineri feudum, graviter hallucinretur, præſertim qua antiquum feudum mixtum. *vid. alii & noviſſ. diſſ. Lipſ. Cl. Dn.* MTLII.

Scholion. 4. Qua Mecklenburgica feuda, apud omnes noſtros ICtos practicos in confeſſo eſt, quod patres de illis queant inter liberos diſponere. Ordo juridicus in hac Alma ſemper pro diſpoſitionibus talibus reſpondet, ceu teſtantur innumera exempla. Legatur TORNOV. *de Feudis Mecklenburgicis P. II. p.* 48. *ſqq.* Quia igitur feuda patriæ, ob æris alieni promiſcui onera, lubricam, qua conſervationem familiarum, habent qualitatem, nonſolum patiuntur fideicommiſſorum familiæ ſuperadditionem ſed & conſultiſſimum erit eandem excolere, id quod noviſſimis temporibus in multis familiis fieri voluiſſe & factum eſſe ex documentis omni exceptione majoribus probari poteſt.

POSITIO VII.

Ad diſpoſitionem Patris inter liberos, fideicommiſſum familiae feudo ſuperaddituram, nullæ aliæ requiruntur ſolennitates, quam, quae de jure communi ſufficiunt. Admittenda etiam eſt diſtinctio inter expreſſa & tacita, modo ex circumſtantiis de enixa conſtiterit voluntate & providentia.

Scholiu. 1. Prius eſt extra dubitationis aleam poſitum, & ne quidem videmus, quod, cautelæ inſtar, ſolenne teſtamentum ſit condendum: Nec obſtant quæ tradit STRYK. *diſſ. cit. C.* 1. §. 33. quoniam ſunt ex diverſis. Poſte-

Poſterius indiget illuſtratione. Admittimus diſtinctionem inter fideicommiſſa expreſſa & tacita, atenimvero, quoniam hoc loco verſamur in cauſa magis ardua non tam facile perpetuo valiturum & verum fideicommiſſum elicere licebit, niſi enixiſſima & omni exceptione major providentia & voluntas eluceat. Primi gradus deſcendentibus facilius ponitur obex et norma quam ulterioribus. Ergo ſi e. gr. non adeo enixa de perpetuitate voluntas apparuerit, filiis quidem legem dixiſſe potuit, ulterius tamen haud valituram. Aſt in genere verbis accedat ſobria & non violenta captataque explicatio, v. gr. ſi ſcripſerit: Meine Söhne ſollen das Lehn nicht über ... Rthlr. mit Schulden beſchwehren. Demjenigen, welchen unter meinen Söhnen der Kavel fallen wird, empfehle ich die menage, damit er die Lehne ſeinen Nachkommen ohne groſſe Schulden-Laſt liefere. Prior caſus involvet fideicommiſſum, qua generationem primam. Quamvis enim acute ſentiant JCti, ſub nomine filiorum etiam in fideicommiſſis comprehendi nepotes & ultra, hoc loco, ubi de reſtringenda libertate verſandi in jure quæſito agitur, aliter ſentientibus patet campus. Poſteriora verba plane non ſunt ad fideicommiſſum trahenda Conf. *lex.* 38. *§.* 3. *ff. de Leg.* 3. cujus verba quibus defunctus fuerat uſus: Ita fiet, ut fundus de nomine veſtro nunquam exeat, pro mere enunciativis & fideicommiſſum familiæ haud inferentibus ſolent declarari.

Scholion. 3. Nimis faciles ſunt nonnulli JCti in fabricandis fideicommiſſis, verba perſuaſoria, adulatoria, commendatitia, admonitoria, optativa & ſimilia, non a diſpoſitivis & imperativis diſtinguendo. In temperamento conſiſtit virtus. Optimus character quidem erit, ſi expreſſe flos totius familiæ pro ratione ponitur, damit das Geſchlecht deſto beharrlicher erhalten werde. Sed nos pleniorem contextum & facti ſpeciem deſideramus. Vid. BRUNNEM. *Conſil.* 32.

Schol.

Schol. 4. Novimus ex multorum aſſerto, fideicommiſſa etiam per conjecturas, præſumtiones & verba enunciativa conſtitui; Verum, bona verba qvæſumus, argumenta ſint gravia, urgentia & neceſſario concludentia. Conſentit *Illuſtr. Dn. de* LEYSER. *Med. ſpec.* 400. *n.* 1. 2.. Nec ſubſcribendum eſſe cenſemus illis, qui leves conjecturas ſufficere autumant, immo, qui, ut fideicommiſſum valeat, a propria verborum ſignificatione recedi poſſe autores ſunt *Vid.* KNIPSCHILD, *Cap.* 17. *n.* 87. *ſq. ibique allegati.* Et ſi largiremur huic doctrinæ locum in fideicommiſſis ſimplicibus, ſive vulgaribus, etiam in familiæ cuidam dicatis, tamen in caſu nobis ſubſtrato aliter ſentiremus. Agitur enim in fideicommiſſo feudo ſupperaddito de jure quæſito quodammodo auferendo, nec feriunt nos verba dicti Autoris *n.* 90. *Atque hæc maxime procedunt, ſi de conſervatione bonorum in familia vel cognatione agatur.* Obſtat enim medius terminus, de jure quæſito, adeo, ut nec diſtinctionem factam *n.* 103. inter fidei commiſſum ſimplex & abſolutum, quoniam in caſibus feudalibus non quadrat, admittamus. Qvatenus autem ſubſcribendum ſit, docentibus, quod potius præſumendum ſit, teſtatorem jus ignoraſſe, qvam heredem onerare voluiſſe, vid. MANTICA, *de Conj. Ult. vol. Lib.* 12. *tit.* 17. *n.* 25. alia eſt qvæſtio.

POSITIO VIII.

Poterit & per conventionem inter vivos feudo fideicommiſſum familiæ ſuperaddi.

Scholion 1. Qvomodo alias inter ſe, qua interpretationem & alia, differunt, fideicommiſſa conventione & ultima voluntate facta, non eſt hujus opellæ. *Legatur* STRYCK, *Diſſert. de fidei commiſſ. illuſtr. conſtit. Cap. I.* §. 6. & *de ſucc. ab inteſt. diſſ.* 7. Jure Germanico, qvod pacta ſucceſſoria quæ-

vis

vis admittit, modus poſſibilis conventionis erit admittendus. Pacta etiam confraternitatis & ganerbinatus ſunt aliquadantenus ſpecies ac exempla. De poſterioribus legatur ad voluptatem usque *Excell. Dn.* ESTORIS **kleiner Schrifften, ſiebender Band.**

Scholion 2. Qvod ad conventionem illam requiratur conſenſus illorum de qvorum agitur incommodo, nemo diffitebitur.

Scholion 3. Qvod conſenſus agnatorum, ex poſt facto accedens, ad diſpoſitionem prælaudatam, idem efficiat, vix eſt ut moneamus, conf. VULTEJ. *de Feudis L.* 1. *Cap.* 10. *n.* 60. *ſq.* Num eo caſu dato adhuc ſalva ſit regula: voluntas hominis eſt ambulatoria? Elegans eſt qvæſtio. Nos negamus, Vid. STRYK. *d. diſſ. c.* 1. §. 19. qui etiam de inſinuatione & aliis requiſitis, ampliſſimis diſſerit, & quærit, quinam modus conſultior ſit.

POSITIO IX.

Filii & ulteriores deſcendentes non poſſunt, repudiando allodium, contravenire diſpoſitioni fideicommiſſariæ Patris.

Scholion 1. Qvantæ ſint autoritatis in Praxi Textus 2. *F.* 45. *&* 51. apud omnes peræque conſtat. Nos in feudo omnibus numeris perfecto & regulari, locum haud damus aſſertioni, ſtipati egregiis Doctoribus & praxi Camerali, vid. HORN *Jurispr. Feud. Longobard. Teut. C.* 16. §. 24. qui tamen diſſentit. Si digreſſionem pateretur inſtitutum, argumentis uti vellemus. In Patria noſtra lis eſt de lana caprina, nam qvia feuda per ſe ſunt æri alieno obnoxia, repudiatio allodii nil qvidqvam neqve agnatum neqve filium juvaret: Qua hunc paſſum etiam in noſtris feudis mixtis arripimus aſſertionem illam ambabus mani-

C bus,

bus, ne filius diſpoſitionem paternam eluſurus, illam viam ambulet.

Scholion 2. Nil juvari diximus Utriusque Juris ſucceſſorem per repudiationem allodii; An ergo eſt ex reliquiis abſolute Juris Romani hæres neceſſarius? Reſponderi ſolet: Non; ſed utrumque repudiare poteſt: Proh! flebile conſilium. Præſtat beneficio inventarii uti, ſunt enim qvædam emolumenta in feudo avito, qvæ ſeqvuntur ſucceſſorem absqve creditorum commodo. Non ſubſcribimus illis, qvi, textui allegato fraudem facturi, per beneficium inventarii impediri ſubſidiariam ex feudo ſolutionem a filio faciendam ſtatuunt. Vid. *Hartm.* PISTOR. *L.* 2. *quæſt.* 2. *n.* 47. Prævidemus tamen jam aliam dictam utilitatem. Nec jus protimeſeos ſimpliciter denegamus filio, ſi feudum avitum etiam ſub haſta venerit. Inventarii utilitas in eo verſabitur, daß der Sohn denn doch nicht mehr bezahlen muß, als das Allodium und Feudum wehrt.

Scholion 3. Omnes proviſiones, familiarum, maxime haud vulgarium, florem reſpicientes, favore dignæ ſunt. Lugubre & deplorandum dicitur, videre, antiqua majorum caſtra ac prædia ad alias familias transferri, *l.* 38. *D. de R. V.* Turpe ſemper fuit habitum, domum in qua pater defecit, minor crevit, ut loquitur *l.* 22. *C. de adminiſt. tut.* alienare. Triſtis vox eſt: *veteres migrate coloni.*

Scholion 4. Jurium, Lubecenſis & aliorum proviſiones, qua bona hæreditaria ad idem collineant. Unde & eadem bona fideicommiſſorum æmula appellavit *Cl. Dn.* BESELIN, diſſ. ſub præſidio MANZELIANO *hab. de legitima collateralium.* Jus divinum forenſe vehementer urget conſervationem familiarum & prædia illis propria, vid. *Num. Cap. XXVII.* 7. *ſeq. XXXVI. per tot.* Conf. Sangvinolenta hiſtoria, de vinea Nabothi, 1. *Reg. cap. XXI.* Eſt igitur hæc fidecommiſſificatio in ſubſtantialibus non novum, ſed ſat

antiquam

Digitized by Google

antiquum & Juri Germanico admodum conforme inventum. Leg. *Ill. Dn. de* LUDEWIG *Jura feud. Rom. Imp. Cap. VI. §. 9.*

POSITIO X.

Arctius eſt vinculum cum agnatis in fideicommiſſo feudo ſuperaddito.

Scholion. Duplex vinculum fortius ſtringit, quam ſimplex. Abſit tamen ad cautionem vel inventarium obligaſſe agnatum; Quamvis enim in vulgaribus fideicommiſſis ad utrumque adſtringant poſſeſſorem: Nolumus tamen nos, ſalvo rectiori, in fideicommiſſa ſuperaddita, rigorem illum invehere.

POSITIO XI.

Fideicommiſſum familiæ feudo ſuperadditum, nec legitimæ, nec doti filiarum, nec juri viduarum, bene autem, in patria, filiarum uſufructuariarum, derogare poteſt.

Scholion. An & quatenus legitima alias ex feudis, bonis majoratus, primogenituræ & aliis debeatur, late diſputant alii. Noſtra cautio tantum eo tendit, uti eſt in rubro. Legitima eſt inſtar alimentorum *vid.* STRYK. *de fideicommiſſorum illuſtrium conſtitutione & diſpoſitione Cap. I. §. 7.* ubi, qua ratione in fideicommiſſo minui queat legitima ex Menochio, Peregrino & aliis conſulit. Dotis favor eſt inſignis: Jura viduarum favorem habent publicum, ſuntque viduæ perſonæ extraneæ: Jura virginum uſufructuariarum lege quidem publica ſunt ſtabilita, ſed illa impediri & minui poſſe haud ambigimus. Fiant omnia quam elegantiſſime & prudentiſſime, ſalvo tamen jure tertii. Qua

jus virginum noſtrarum habebimus omnino diſſentientes, ſed ſit cuique liber ſtylus & liberum arbitrium. Dicitur dari pacta familiarum in patria, vi quorum jura virginum ſunt immutata, vid. ex WESENBECII *Conſ. I.* Gen. Dn. *du* PUITS *diſſ. de Jure filiarum uſufr. Meckl. ſub Præſ.* MANZELIANO *hab. poſit.* 13. Nos tamen, tam quod liceat, quam quod cum augmento feudorum fiat, concedimus; Quod in prima generatione per diſpoſitionem fideicommittentis caſus emergere haud queat, per ſe clarum eſt: Quod ſi enim fideicommittens moriatur ſine filiis, omnia redeunt ad ſtatum priſtinum: Niſi ex conventione initium, quo caſu aliter judicandum. Ergo cogitandum de ulterioribus gradibus. Providentia, qua filias, tamen in caſu ſubſtrato, non minuere debet jura filiarum communia, qua alimenta & dotem. Qua ſucceſſionem autem, quæ alias etiam in ipſum feudi pretium filiabus quodammodo conceditur, omnino earundem jura deminui poſſe ſtatuimus. Si viduis per fideicommiſſi limites, accedentibus pactis dotalibus proſpectum bene fuerit, non ſumus contrarii, etiam illarum jura fideicommiſſo ſuperaddito mutari poſſe.

POSITIO XII.

Jura domini directi per fideicommiſſum feudo ſuperadditum ne in minimis quidem mutari vel interverti debent.

Scholion. Si omnia bona fide fiunt, geritur hac ratione actus, qui nonſolum non in domini directi vergit damnum, ſed qui meliora facit ejusdem jura. Qua conſenſum omnia ad jus ſpeciale, de quo nobis non eſt diſputandum, remittimus. Confirmationem omni caſu commendamus. An velint ſucceſſores, litteris inveſtituræ hujus qualitatis ſuperadditæ mentionem inſeri, prudenti judicio relinquimus.

Digitized by Google

mus. Nobis ſufficit, quod eſt in theſi, quod omnia agi debeant & aguntur ita ut domini directi juribus nil quidquam detrahatur. Quid Juris qua Feuda Bohema & Sileſia patet ex Conſtitutione Joſephina d. d. Breßlow, 1706. 18. Nov. verbis: keine primogenitur oder fideicommiſſum perpetuum ohne Landes-Fürſtl. Conſens &c. Quid in Auſtria, vid. ex SUTTINGERO apud LUNIG *Corp. Jur. Feud. Tom. 2. f.* 462. *rubro* 70: daß ſich die Lehen in Oeſterreich durch die Erbeinigung und fideicommiſs, nicht binden laſſen. Quid alibi, inductio daret, ſi noſtri eſſet inſtituti. Conf. *Jus Prov. Pruſſ. Lib.* 7. *tit.* 3. verbis: Die pacta familiæ. De Bavaria & Saxonia vid. LUNIG. *d. l. fol.* 524. *f.* 670. conf. *poſit.* de publicatione agens. Eſt in manibus Inveſtitura Meckl. in qua diſtincte memoratur, feudum illud ex diſpoſitione paterna ad inveſtiendum devolutum eſſe: Id quod conſultiſſimum eſſe putamus.

POSITIO XIII.

Fideicommiſſi ſuperadditio quovis meliori modo ad omnium notitiam eſt referenda.

Scholion. Leges & Doctores, quotquot de fideicommiſſis & ſimplicibus & familiarum evolvimus, modum publicandi nullum præſcribunt: Quoniam autem creditores juſtam querendi cauſam haberent, ſi in vulgus non fieret notum, quid conventum, vel diſpoſitum ſit, famæ publicæ hæc ſuperadditio erit committenda: Cavendum enim quam prudentiſſime, ne fides poſſeſſorum feudalium omnium & ſingulorum ſuſpecta fiat & minuatur: Curioſiſſimus enim alias creditor poſſet falli & errare, minimum in dubio tutius eligere & non credere, id quod pernicioſiſſimum foret. Placet huc referre paſſum ex Receſſu Friſiæ Orientalis de 1663. cap. 1. Alſe de Goeder dickwiils met

 fidei-

Digitized by Google

fideicommiſs belegt werden, en d' Erven aleven wel van andere Lieden, geen Kenniſſe van 't fideicommiſs hebbende, Geld op deſelven neemen, dewelcke eyndelyck daervan fruſtrert werden, dat daervonn naer deſen geen fideicommiſs gelden mooge, als het welcke aen et Hofgerichte off in de Plaetſe, daer de Goeder, met fideicommiſs beſchwaert, gelegen, gerychtelyck notificeert ende protocolleert ſeyn. Vid. LUNIG. *Tom. II. p.* 1583. Nos meliores modos commendare voluimus: Quales illi ſint, videant, quorum e re eſt: Illuſtre fideicommiſſum Kœnigſteinianum in tribus templis publicabatur 1729. vid. factum & deductio publ. 1741. §. 31. verbis: Die bis auf 6 Wochen nach ſeinen tödtlichen Hintritt hinausgeſetzte Publication, des von ihm geſtiffteten fideicommiſſi, noch währenden ſeinem Leben vollziehen zu laſſen ſich entſchloſſen, in der zu ſolchem Behuf bey dem Königl. Ober-Gericht überreichten Bittſchrifft der von ihm geſtiffteten und nunmehro öffentlich von denen Canzeln kundzumachenden Stamm-Folge. Vid. adjuncta ipſarum diſpoſitionum.

POSITIO XIV.

Scopus & effectus fideicommiſſi familiæ feudo ſuperadditi obtinetur per oppignorationis, diſmembrationis & alienationis prohibitionem.

Scholion. Hæc aſſertio cardo rei & centrum eſt, quorſum omnes aliæ confluunt. Appellantur merito etiam artificioſiſſima fideicommiſſa familiæ, quæ feudo non ſunt ſuperaddita, feudorum æmula. Hinc merito dubitabatur qua regularia, imo negabatur, multum quod habere queat utilitatem noſtra fideicommiſſificatio & transeundum erat maxime ad irregularia. Quoniam autem in illis etiam crepatur familiæ conſervatio, quæ tamen ſtante facili

cili oppignoratione & alienatione, minus tuto nititur fundamento, prudentiſſime, ad finem illum vere obtinendum, ſuperadditum fideicommiſſum, quod dictos dicendosque habebit effectus alios inconſvetos.

Scholion 2. An oppignorationem omnem prohibere poſſit fideicommittens, nova eſt quæſtio. De jure ſtricto vix dubitamus, ſed, per regulas prudentiæ, ſvaſores ſumus ut ad certam ſummam licere jubeat ſtator ille familiæ: Poſſet enim hæc providentia, florem familiæ conſervatura, contrarium operari,

Scholion 3. Quod illud æris alieni vinculum, quo feudi ſubſtantia conſervatur, admittat, per noſtras aſſertiones undique & vbique clarum eſt. vid. Poſitio ſequens.

Scholion 4. De diſmembratione difficulter aliquid ſtatuitur, niſi ex facto, ſciendum enim erit, quam late pateat feudi cum pertinentiis ambitus, evolv. omnino MICHALOR. *de fratribus*, *P*. 3. *c*. 39. Et ardua eſt omnino quæſtio; Num pater per diſpoſitionem inter liberos poſſit primogenituram introducere, quam STRYKIUS & alii rotunde affirmant.

POSITIO XV.

Creditoribus futuris nocet omnino hæc fideicommiſſificatio.

Scholion. Quoniam adverſus æs alienum onerans tota hæc providentia dirigitur, poſitis ſuperioribus, ita omnino ſtatuendum erit. Niſi autem cætera eſſent paria, ſpeciem quandam doli ſubeſſe & illum, qui contra communem præſumtionem & regulam obligari voluit ad ſcientiam fideicommiſſi, adſtringi ad impoſſibilia, dicendum veniret. Regula: Quilibet ſcire debet conditionem ejus cum quo contrahit, quæ obmovetur, tantum maxime valere poeſt,

Digitized by Google

eſt de qualitatibus perſonæ, & quamvis etiam tituli poſſeſſionum, intuitu poſſeſſorum, ſpectent quodammodo ad conditiones perſonarum, tamen illi, qui ex communi opinione & præſumtione erravit, ſtatumque regulæ ſibi ob oculos poſuit, nihil venit imputandum, imo error ille non foret ſine dolo alteræ partis. Et quamvis alias dolus poſſeſſoris non queat toti familiæ nocere, tamen, per ſuperiora, ab hac doctrina recedere nequivimus, bene interea gnari, quod pro conſulentibus nonnunquam aliter reſpondeatur. Inſtantiæ, quod non juvari poſſit, qui putabat prædium hypothecæ nexui ſuppoſitum eſſe allodiale, eſſe mariti, eſſe proprium, quum tamen aliunde emergat, eſſe feudum, eſſe uxoris, eſſe conductum, eſſe uſufructuarium, non feriunt; Rationes enim differentiæ ſunt in promptu ex dictis, de præſumtione & regula, nec errabat ille creditor in genere in titulo, ſed tantum in nova acceſſoria qualitate. De creditoribus futuris concepta eſt aſſertio: & *l.* 114. *§.* 14. *ff. de legat.* cum multis aliis pro creditoribus miltantibus, tantum de iis qui ante fideicommiſſi inſtitutionem crediderant erit accipienda. Ut taceamus, illam legem de vulgaribus fideicommiſſis conceptam huc plane, propter toties dicta, non quadrare.

POSITIO XVI.

Si fideicommittens obligaverat feudum, omnino ad ſolvendum illum nexum nomina nova hypothecaria admittuntur.

Scholion. Ne aliqid indiſputatum relinqueretur, dantur Doctores, qui fructus in debita fideicommittentis imputari volunt. Ad manus tantum ſunt ex idem ſtatuentibus NATTA *Conſ.* 321. *n.* 4. MENOCH. *de A. J. Q. Caſ.* 256. *n.* 21. 48. ſed errant, diverſa enim ſunt, bene agere & jure cogi.

POSI-

POSITIO XVII.

Caſus fortuiti & ſummæ neceſſitatis ut & conſervationis familiæ, exigentes feudi ſubſtrati oppignorationem, jure excipiuntur.

Scholion. Aliqua exempla, quæ hactenus vidimus, exceperunt, die höchſte Nothdurfft, excipiant etiam die Ehren-Fälle: Quorſum STRYK. *diſſ. cit. c.* 2. §. 7. dotationes filiarum rectiſſime referri non vult, ſcil. in fideicommiſſo familiæ communiori: In noſtro filiabus aliunde bene proſpectum. De ſumtibus ſtudiorum placet facere cathedrale problema. Agitur enim de honore familiæ. Modo arbitretur judex & curioſus ſit creditor. Caſus fortuitus nullibi excluditur *vid. l.* 53. *& ſeq. de legatis I.* ubi impenſæ in domum ſine culpa fideicommiſſarii exuſtam imputantur. *Add.* PEREGRIN. *de fideicommiſſis art.* 10. *n.* 28. SCHRADER *de Feudis Part. II.* 9. *Sect.* 5. *n.* 5.

Idem dicendum de aliis impenſis in conſervationem totius fideicommiſſi, quod tamen cum grano ſalis accipiendum erit, e. gr. de ſumptibus rei fideicommiſſariæ recuperatoriis per proceſſus &c. Sed hæc ex principiis Juris feudalis per ſe ſatis exploduntur. Liceat caſum omnium noviſſimum & plane ſingularem huc referre: Anno 1740. in prædiis beati nunc Baronis de K. XXII. ruſtici, partim ex conſpiratione, partim ex accedenti malitioſo impetu occidebant præfectum agriculturæ & œconomiæ: Inquiſitio igitur inſtituenda erat ſumptuoſiſſima; Militum manus adhibenda erat, in cuſtodiam, deficientibus tot carceribus: Inſtabat utraque meſſis, & conducendi erant alii ad labores Inquiſitis alias proprios: Tribus, erat caſus admodum tragicus. Condemnabantur, ex judicio Facultatis hujus Almæ alii ad mortem naturalem, alii ad civilem, alii ad mitiora. Anno 1741. Præſidi offerebatur ad conſilium

ſuo nomine exponendum, quæſtio: Ob die Inquiſitions-Koſten und was alles durch den Unfall daraufgegangen, beſonders auch wegen des Verluſts derer Menſchen, indem die Höfe ſchwer zu beſetzen, das fideicommiſſum mindere. Reſp. Illuſtri Viro, ad cauſam laboranti, affirmative, & conformiter pronunciabatur nomine Regio d. 13. Dec. 1741. das wegen der zu den Criminal-Proceſs erforderlichen 5000. Rthlr. die Fidecommiſs-Erben den Conſens-Brief ratione der Aufnahme auszuſtellen oder daß derſelbe judiciali authoritate ſuppliret würde, gewärtigen ſollten. Obſtaculum, quod jurisdictio ex fructibus & commodis jurisdictionis ſit adminiſtranda per caſus inſolitiſſimam qualitatem removetur: Arbitretur igitur judex in exemplis ſpecierum ſimilium.

POSITIO XVIII.

Fideicommiſſa familiæ feudis ſuperaddita ſunt regulariter perpetua.

Scholion 1. Familia eſt inſtar corporis, cujus perpetua beatitudo civilis & quaſi immortalitas affectatur. Ergo quoties de favore & conſervatione ejusdem agitur, perpetuitas ſtatuenda erit. Imitatur familia civitatem, vid. KNIPSCH. *Cap.* 2. *n.* 42. *& alii ab eo allegati*, add. ex noviſſ. WERNHER. *obſ. Vol. III. c.* 135. *Vol. V. c.* 256. In dubio etiam omnes diſpoſitiones cenſentur perpetuæ *l.* 56. *ff. de cond. indeb.* KOEPPEN *deciſ.* 24. *n.* 11. & quamvis illi, qui odio in fideicommiſſa feruntur & in dubio contra illa pronunciari volunt, aliter ex analogia doctrinæ ſuæ, ſentiant, tamen haud eſt potior illorum pars, nec putamus, quod ad fideicommiſſa familiæ, præſertim feudis ſuperaddita, ſi deſuper quæſiti fuerint, ſuum velint extendi odium, maxime qua deſcendentes, modo, quod iterum ſancte requirimus, in quæſtione de conſtitutione enixa appareat voluntas.

Schol

Scholion 2. Datur & alius fons odii, quoniam nimirum putant, negligi a fideicommiſſariis culturam prædiorum fideicommiſſo obnoxiorum; ſed, etiamſi qua vulgaria ita ſe haberet, minime tamen ad hæc noſtra poſſet applicari.

POSITIO XIX.

Qua deſcendentes fideicommittentis, abſque exceptione, niſi inſtitutor ipſe aliter diſpoſuerit, ſunt perpetua hæc fideicommiſſa ſuperaddita.

Scholion. De vulgari fideicommiſſo dimicatur, an ultra quartum gradum ſucceſſio in eodem extendatur. Qui id negant, ſollicitant *Nov.* 159. *c.* 1. Quilibet ſuo genio & ingenio indulget. Alii decimum gradum, propter §. *pen. l. de Succeſſ. cognat.* Alii centeſimum annum, per *l.* 56. *ff. de Uſufructu*. pro termino ponunt. Alii diſtingunt, an prohibitio alienationis in rem, an vero in perſonam facta. Lites haſce non facimus noſtras: fideicommiſſa autem familiæ perpetua eſſe per *l.* 69. §. & 78. §. 3. *ff. de Legat. coll. l.* 195. §. 1. 2. *ff. de V. S.* ubi familiæ conceptus in infin tum extenditur, in regula ſtatuimus. Detur caſus & reſpondebitur; Quamvis enim JCti infinitatem vitandam eſſe nonnunquam ſvadeant, tamen, ſi verba infinitatem important, ab eadem non erit abhorrendum. Nec rara avis eſt nexus in florem familiæ ex prima deſtinatione perpetuus, veluti in feudis, quibus qualitas fideicommiſſaria, quam pro themate habemus, tantum accedit, adeo ut acceſſorii duratio ex principali veniat æſtimanda. Reſtringenda erit perpetuitas in caſu ſubſtrato, ſi fundamentum eſt ultima voluntas, ad familiam a conſtituente deſcendentem: Collateralibus juxta ſuperiora, legem dicere nequivit vaſallus, etiamſi optime

de flore familiæ ſenſerit; Et hæc eſt maxima & perpetua differentia inter fideicommiſſa familiæ vulgaria & ea, quæ feudo ſuperadduntur. Qua ratione in individuo uno vel altero ceſſet ob inhabilitatem vel feloniam, plane non eſt hujus tractationis, quoniam omnia ex jure feudali ſunt conclamata, nec quidquam, præter expreſſa, hoc modo ſuperadditur, vel juri feudali detrahitur.

POSITIO XX.

In omnibus aliis juribus, quæ non per ſuperiora ſunt reſtricta, de feudo ſubſtrato, judicabitur ex regula, acſi nimirum nulla fideicommiſſi Familiæ ſuperadditio facta fuiſſet.

Scholion. Nec ordo ſuccedendi, nec actiones, alias competentes, ne quidquam quidem, qua externas denominationes mutabuntur, niſi quis elegantius ludere in verbis & qualitatis fideicommiſſariæ adjectitiæ mentionem facere velit; quoties autem ſpecialia quædam ex ſuperadditione venient in litigium, ſemper ex illa conventione prima, vel ex ultima voluntate agendum erit. Atque his poſterioribus in caſibus vel concurrens locum inveniet jurisdictio, vel præciſe ad forum civile deferenda lis erit, illis ſcilicet in terris, ubi diſtincta datur feudalis Cancellaria. Vid. ampliſſimis STRYK. *de Succ. ab Int. Diſſ.* 7. *op. ſpec. de actionibus quibus &c.*

POSITIO XXI.

Fideicommiſſum familiæ, feudo ſuperadditum conventionale, conſenſu omnium quorum intereſt haud difficulter tolli poſſe dicitur.

In

in diſpoſitione inter liberos fundatum omnibus conventionibus & novis diſpoſitionibus ultimis ſucceſſorum ſuperius eſt.

Scholion. De fideicommiſſis vulgaribus ita communiter per *l.* 120. §. *I. de leg. I.* ſit ita, modo rite accipiatur, quinam ſint illi quorum intereſt: Caveatur etiam ne publica utilitas ſit tertia pars, vid. qua ſtipendia LEYSER. *med.* 403. *n.* 4. An autem conſentientium poſteri aliquando impugnare queant ſublationem, perplexa apud Doctores eſt quæſtio, quam per varias limitationes rimari non vacat; Legatur STRYK. *diſſ. cit. p.* 58. Noſtram de hoc capite mentem continet poſitio; Nec omnia quæ dicuntur, dicimus, Conſentit B. WILDVOGELIVS, *JCtus Jen. diſſ. de translatione fideicommiſſi cap.* 3. *§. ult.* Ratio eſt in favore & gloria familiæ. An inde, quod qualitas hoc loco tantum ſuperaddita, aliter ſentiendum, aliis affirmandum relinquimus.

POSITIO XXII.

Superadditio fideicommiſſariæ qualitatis eſt quædam accommodatio feudi irregularis ad normam illorum, quæ ſunt ex pacto & providentia.

Schol. Scilicet, qua deſcendentes primi inſtitutoris: Concluſiones hinc eliciendæ ſunt ſat multæ.

POSITIO XXIII.

Beneficium taxæ, quo gaudent Nobiles

Pomerari, facit, pariter ac fideicommiſſi ſuperadditio, aliquid ad conſervationem familiarum.

Schol. Deductionem absque plagio facere neſciremus: Ergo legatur *Exc. ICti Gryph. Dn.* BALTHASAR. *diſſ. de beneficio taxæ agnatis aliisque feudi ſucceſſoribus in Ducatu Pom. & Princ. Rugiæ competente.* 1738. Vid. etiam ornatiſſimum opus inclyti Gryphici Profeſſoris Dn. SCHWARTZEN ſ. t. Lehn-Hiſtorie p. 855. ſqq. & paſſim. Utrum in terris Meckl. detur ein Land-Taxt, nuper ſtylo Facultatis Juridicæ Academiæ hujus patriæ fuit indagatum.

POSITIO XXIV.

Imitatur fideicommiſſorum familiæ feudis ſuperadditorum qualitatem, pecunia feudalis, modo debita habeat requiſita.

Scholion. Feudum in pecunia conſiſtere poſſe, nemo ambigit De modis videantur etiam compendia, & ex profeſſo B. ANDR. MYLIUS *ICtus Lipſ. de feudo* in pecunia conſiſtente, vom Lehn-Stamm. *Lipſ.* 1693. Falluntur nonnunquam in requiſitis, & cunfundunt pecuniam, per modum ſimplicis fideicommiſſi in familia nobili conſervatam, cum feudo in pecunia. Dicitur tale fideieommiſſum Lehn-Geld, ſed abuſive. Quicquid ſit, ſcopus idem eſt, ut alicui ex familia melius ſit. A. Fac. Jurid. hujus Acad. ſat ſœpe de his talibus requiſita ſunt judicia, ſolet autem reſponderi ex allata diſtinctione. Quomodo, jam ante ſesquiſeculum ſponſum, *vid. ſelecta Jurid. R. ſpec.* 1. *q. I.* conf. TORNOV. noſter *P. I. p.* 325. urgens ſtrictam acceptionem.

POSI-

POSITIO XXV.

Poterit equidem fideicommittens clauſulus poenales addere; ſed ſufficit poena ex natura negotii promanans.

Scholia. Quales illæ pœnæ eſſe queant, arbitrio quidem relinquendum; poterunt autem eſſe tales quæ, præter annullationes, deſcendentem, aliquid, contra fideicommiſſum attentantem plane excludunt ab omni feudi illius commodo vid. inſtar omnium BETARSIUS *de pactis fam. ill.* C. 4. *p.* 62.

POSITIO XXVI.

Ultimus ex linea fideicommittentis deſcendens, omnia illa agere poteſt qua feudum, quæ licebant ante fideicommiſſificationem.

Scholion. Quando nulla perſona ſupereſt, cujus in favorem fideicommiſſum eſt conſtitutum, quævis alienatio in vulgari eſt licita: Ergo in ſubſtrato omnia licebunt ultimo poſſeſſori, quæ alias per jus feudale licebant: Ceſſante enim prohibitionis ratione, ceſſet ipſa prohibitio. MENOCH. *conſil.* 1272. *n.* 20. Si vero Dominus directus confirmaverit hoc fideicommiſſum, inſpiciendus erit omnino confirmationis tenor ejusque termini.

POSI-

POSITIO ULTIMA.

A fideicommiſſo familiæ ad feudum aliquando valet argumentum & contra: Fideicommiſſa familiarum enim ſunt feudorum æmula.

Scholion. Æmulum non eſt ſimile: Ergo abſint captationes, vid. KERSTAN. *diſſ. cit.* §. 15. Ex hac theſi reliqua, quæ, propter laboris compendium, tractari nequiverunt, haud difficulter, ſalvis propriis cujusque limitibus, illuſtrabuntur, dirimentur.

SOLI DEO GLORIA.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google